Misericordia et veritas etc. Hic notandum quod veritas quadrupliciter distinguitur contra figuram et
mendacium. Primo contra umbras et figuras. Joh. 6. Non Moyses dedit vobis panem 2
de celo, sed pater meus dat vobis de celo panem verum. Nunquid falsus erat ille panis?
Non, sed figuralis et umbratilis. Sic Ego sum vitis vera: scilicet contra umbram vitis
naturalis vel etiam falsi vitis et mendacis. Secundo contra vanitatem. Sic omnia sunt
vanitas apud homines quando bona vana quaerunt et mala vana fugiunt. Timent ubi non
est timor, et amant ubi non est amor. Omnibus istis modis Christus est veri-
tas. Quia ipse est impletio omnium figurarum et vera et solida salus et bonum stabi-
le, non mendax neque vanum. Quarto veritas: quod magis facit ad propositum
dicitur fidelis promissi exhibitio contra subtractionem et promissi negligentiam. Sic
Christus est veritas, quia promissionem patris de se factam exhibuit, ut iam deus sit verax
in promissis suis, dando salutari quod promisit. Et sic Lyra bene exponit dicens
Misericordia et veritas obviaverunt sibi, id est convenerunt in unam personam, quia ex dei misericordia venit
quod misit verbum ad complendum veritatem promissionis facte patribus veteris testamenti de
incarnatione filii dei. Quia quod nobis filium promisit, fuit mera misericordia dei. Et sic ipse venit
est misericordia, id est effectus misericordie dei qua promisit. Quod autem eum misit, fuit veritas et fideli-
tas dei. Et ita ipse est veritas, id est effectus veritatis dei exhibentis promissum. Quare
quod deus ipse promisit, fuit misericordia, et quod misit, fuit veritas. Et ita mirabiliter mixte
sunt et convenerunt: quia cum deus verax est in promissis, misericors etiam est, non tamen [si servat fidem quam promisit]
tam. Quod autem misereatur, veritas eius est. Et ita dum miseretur, fit verax, et
dum servat fidem vel verax permanet, miseretur. Et utrumque in Christo. Si
enim non gratis dedisset, sed ex merito, tunc iustitia et veritas obviassent sibi et non
fuisset misericordia neque gratia, sed debitum. Nunc autem et gratis dedit, ut sit misericordia et gratia,
et mirabiliter verax, quia se debitorem promittendo fecerat et non accipiendo. Quid autem
est quod promittendo se fecit debitorem, nisi mera gratia et misericordia? Sic sic misericordia et veritas
obviaverunt sibi, scilicet in facto et opere uno exhibitis. Si autem obviaverunt, ergo ex diversis
videntur partibus convenerunt in unum? Unde ergo venit misericordia et unde veritas? An misericordia
est terra et veritas est celo? Non sic loca distinguere oportet, sed affectus et bonitatem
dei sive effectus. Quia cum divina bonitas alio affectu est misericors, alio verax.
Misericors propter nos, verax autem propter se. Et sic quasi occurrunt sibi ex diversis obviaverunt
dum nobis meritis volunt misereri et sui iam volunt esse verax. Vel si quod
melius aliquid alius quispiam poterit reperire. Nunc quare iustitia
et pax osculate sunt? Sicut enim Christus est nobis misericordia et veritas dei, ita et iustitia
et pax nobis est a deo. Quod Lyra sic: quoniam Christus iustitiam pro nobis fecit et in
pacem dedit nobis, pacificans que sunt in celis et que in terris. Quia per suam passionem
satisfecit pro nobis secundum iustitie rigorem etc. Bona glosa. Nam sic deus ratione propter
nostram immunditiam pacem non habuit nobiscum, sed conversis misit huius iustitiam
pro nobis, qua fecit et pacem misit. Sed quia ista verba in isto psalmo mire
pomposa et formosa sunt, ideo placeat lectoris in illis exercere meditationem.
Et primo cur non dicit iustitia et veritas / misericordia et iustitia, vel aliter combinatur, illorum facit